



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cvrsvs Philosophicvs**

**Arriaga, Rodrigo de**  
**Antverpiæ, 1632**

Sect. XI. De Vacuo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)



## SECTIO XI.

*De Vacuo.*

**V**ACUUM dicitur spatium imaginarium carens corpore, & aptum illud naturaliter habere. Differt à spatio imaginariis extra cælum, sicut privatio à negatione: quia illa spatia non exigunt habere corpus, ideo habent negationem illorum; vacuum autem dicitur exigentiam corporum. Tale esset v. g. si in hac scholâ per miraculum nullum corporis remaneret, ideoque tunc esset privatio corporum.

157 Dubitatur, vtrum possit esse in rerum naturâ, id est intra concavum lunæ, eiusmodi vacuum naturaliter. Communis & vera sententia negat cum Aristotele. Videantur Conimbricenses hic cap. 9. quæst. 1. Probatur à posteriori, quia videmus, eo ipso quod fistulâ attrahatur aër, attrahi post illam aquam, quantumvis illa grauet; attrahi, inquam, ad replendum vacuum relictum ab aëre. Item si latera folium restricta sint, & nulla sit pars quâ ingrediatur aër, nullâ vi possunt separari, ne detur inter illa vacuum. Plures alia sunt experientia similes, quæ non patiuntur hac de re dubitare. Solum aduerto, hic communiter adduci ad id probandum experientiam vasis clausi, quod si aqua intus congeletur, disrumpitur ut repleatur vacuum: id infra Disputatione XVI. à num. 162. euidenter ostendam huius experientia non esse eam rationem. A priori solet hac veritas probari, eo quod res vitæ facilius conseruentur, quam res discontinuata. Sed hoc facile reiecitur, quia in primis res diuersæ speciei non vniuntur, sed solum sunt vicina, vti & contigua: quam autem vtilitatem habet aqua, eo quod sit contigua terræ aut igni? certe ab his alteratur potius quam conseruetur. vnde satius videbatur illi futurum, ab eis esse separatam, ne posset debellari, quam coniunctam, ut ab eis patiatur.

Secundò alij dicunt, id fieri, ne per vacuum intercludatur corporibus inferioribus influxus calororum. Sed neque hi solidius discunt: quia licet daretur aliquod vacuum, possent corpora cælestia per latera influere in sublunaria. Contrà deinde, quia non contingenter influunt cælestia in ea corpora, vnde per breue tempus rectè posset esse vacuum. Quid enim? abibitne statim in nihilum lapis, si per mediam horam non accipiat influentias lunæ aut solis?

Tertiò alij: Quia natura abhorret otiosum. Sed contrà, quia vacuum illud propriè nihil est, vnde illud non esset propriè otiosum. Contrà Secundo, quia sicut vltra cælum datur naturaliter hoc otium, quia non dantur vlla corpora, cur non poterit illud dari intra concavum lunæ?

159 Ratio ergo à priori sit, quia naturaliter repugnat duo corpora intra se penetrari; ut autem esset vacuum, deberent penetrari, ergo illud non poterit esse naturaliter. Maior est certa. Consequentia est euident. Minor probatur, quia Deus initio mundi condidit tantam materiam, cum quantitate quæ sufficeret ad totum hoc complendum spatium infra cælos: nam si aliquid maneret vacuum, ut quid Deus produxisset tam magnum concavum, cum vacuum ad nihil deferuisset? ergo eo ipso quod totum hoc spatium

plenum sit corpore, non poterit aliud vacuum manere, nisi corpus quod relinquit illud vacuum, penetraret simul cum alio; quod repugnat, nec enim erat antea aliud vacuum in quo posset illud corpus poni, si non penetraretur cum altero.

Obiicies: Vas plenum cinere vel farinâ potest in se recipere aliquam aquam, ergo quia habebat in se vacuitatem. Nego consequentiam, sed quia habebat poros; non quidem vacuos, sed plenos aëre, qui tunc egreditur foras, ut faciat locum aquæ; ipse autem ponitur in loco in quo antea erat aqua, de quo fusiùs infra, dum de Rarefactione egerimus.

Obiicies Secundo: Corpus Christi Domini, beatæ Virginis, & aliorum qui modò sunt in cælo, reliquit vacuum in hoc vniuerso, ergo. Respondeo, Deum produxisse loco eorum corporum de nouo alia corpora, ut totum hoc vniuersum perfectum esset, quia vacuum illud inutile prius esset.

Secundò potest dubitari, à quo moueantur corpora grauiâ, quando contra naturam suam eleuantur ad replendum vacuum, vel à quo depressantur leuia. In nostrâ sententiâ prædicto est ratio, quæ ab aliis valde difficulter redditur. Mouentur ergo à corpore auferente illud aliud, in cuius locum ipsa succedunt. Verbi gratiâ, attraho ego per fistulam aërem, aër motus à me, pellit à loco aliud corpus secum impossibile, hoc autem mediâtè vel immediâtè impellit aquam ut ingrediatur in locum relictum ab aëre, & ita det locum corpori moto ab aëre: sicut quando mouetur lapis, ipse mouet aërem, & facit ut ponatur in loco in quo antea erat ipse lapis, alioquin nouum posset moueri, quia non haberet locum in quo poneretur.

Tertiò dubitatur, an sit possibile vacuum de potentia absolutâ. Respondeo affirmatiuè: sicut enim modò est extra cælum, & hic erat ante productionem mundi, potest etiam & modò esse.

Quartò dubitatur, an in eo vacuo possit esse motus successiuus. Respondeo affirmatiuè, quia corpora circumstantia non adiuvant, sed potius retardant motum, solumque requiritur aliquod corpus cui graue innitatur: at hoc rectè potest suppleri de potentia absolutâ, præterquam quod in Angelis nec naturaliter requiritur. Vtrum autem per illud vacuum posset vel deberet esse motus in instanti, dicitur infra.

Tandem potest dubitari, vtrum lapis descenderet per illud vacuum in centrum. Et ratio dubitandi est, quia tunc per illum descensum rediretur incapax recipiendi calororum influentias, ergo non descenderet in centrum. Respondeo tamen, descensurum, Primò, quia corpora inferiora non adiuvant sed retardant eius descensum, ergo tunc facilius moueretur quam modò. Neque impedit incapax recipiendi influentias, tum quia eas posset recipere per corpora collateralia, tum quia lapis nullas fortè accipit à cælo, ut supra dixi. Sed quid, si non esset infra lapidem terra? Adhuc dico, ferendum illum lapidem propriâ grauitate in punctum aequaliter distans à cælo vndeque & quod nunc constituit centrum. Et ratio est, quia lapis ob suam grauitatem exigit poni infra alia corpora & elementa leuiora; sicut lapis, qui modò est in centro, quiescit ibi.



ibi, ob eandem rationem. Alij casus excogitari possunt his similes, de quibus, sicut de precedentibus, fortè nihil dicitur certum: quia cum

de illis non habeamus experientiam, nec ex his, quæ videmus, quidquam possit inferri, non nisi diuinando discurretur.

## DISPUTATIO DECIMAQVINTA.

## De Duratione.

**D**URATIONE est forma illa, per quam res existit in tempore; sicut vbicatio est forma, per quam res existit in loco.

Dubitari potest, vtrum duratio dicatur quæcumque existentia in tempore, etiam si sit per vnicum instans; an verò requiratur persistens in esse. Quæstio est de solo nomine: probabilis reputo cum Hurtado Disputatione 17. Metaphysicæ §. 7. requiri persistens in esse; nam durare idem est ac perseverare, ex communi acceptione. Vnde duratio distinguitur à primâ existentia, sicut conservatio à primâ productione, solum per denominationem extrinsecam à præcedenti vel carentia alterius durationis in instanti antecedenti. Licet autem hæc ita sint, in rigore tamen Philosophico etiam ipsa primâ existentia dicitur duratio, & comprehenditur in hac Disputatione de Duratione. Imò nos (vt infra constabit) omnem durationem ponimus successivam & instantaneam: vnde licet ex parte ipsius subiecti detur propria denominatio durantis in hoc sensu Grammaticali, scilicet perseverantis in suo esse, ex parte tamen durationis nulla est perseverantia, sed vna alteri succedit, vnde nulla in eo sensu durat. An autem duratio sit ratio mensuræ, vel respiciat tempus imaginarium, & quomodo maior & minor sit, inferius constabit, explicatâ prius eius distinctione à re durante.

## SECTIO I.

## An duratio distinguatur à re durante.

**I**NQUIRIMVS, an Petrus v. g. existere hodie & cras, sit aliquid intrinsecè superadditum ipsius substantiæ, sicut de vbicatione diximus Disputatione præcedenti; an verò sit denominatio quædam extrinseca ab ipso tempore vel reali vel imaginario, sicut de similitudine dictum est Disputatione 11. Logicæ, à num. 41.

Thomistæ nonnulli apud P. Suarez Disputatione 50. Metaphysicæ, sect. 2. num. 2. opinati sunt, durationem consistere in solâ mensurâ rei durantis cum tempore.

Hæc sententia Primò falsa est, Secundò intelligibilis, quia vel ad durationem requirit actualem commensurationem cum tempore, & hoc est omnino falsum. Licet enim nullum agens esset intellectuum quod mensuraret, vel si ea agentia omnia dormirent, & nihil de mensuratione cogitarent, proculdubio adhuc res magis & minus duraret in seipsâ, ergo duratio non pendet ab actuali commensuratione, & multò minus in eâ consistit. Sed nec requiritur mensurabilitas etiam in actu primo, propter eandem rationem: quia si nullus esset possibilis intellectus ea-

pax mensurandi, adhuc posset intelligi duratio. Quòd si nomine mensuræ coexistentiam cum aliâ re intelligant, etiam falluntur, quia Deus solus verè duravit ab æterno, nec mea duratio per se pendet ab existentia alterius, nisi quatenus est creatura (quæ vt sic pendet à Deo) quod non ex conceptu durationis, sed aliunde provenit. Adde, si hoc volebant dicere, Thomistæ, quid erat necellum recurrere ad eos terminos de mensuris? sed clarè per coexistentiam dictum id oportebat explicare.

Secundò principaliter reijciuntur; quia illa mensura vel mensurabilitas, est aliquid ab existentia rei durantis separabile; ergo per hunc modum dicendi non respondent quæstioni præfenti.

## SUBSECTIO PRIMA.

## Duratio distinguitur à re durante, &amp; primum pro hac re argumentum.

**D**IVVS Bonaventura in 2. dist. 2. in 1. Partem art. 2. quæst. 3. distinguit durationem à re durante, sicut vbicationem à re vbicatâ, docetq; eam esse formam naturâ suâ constituentem rem in hoc vel illo tempore, sicut vbicatio constituit in hoc vel illo loco. Hanc sententiâ reputant probabilem Scotus in 2. dist. 2. quæst. 1. Richardus eadem dist. art. 1. quæst. 3. Vazquez 1. Parte, quæst. 3. art. 40. dub. 1. ad 3. P. Salas Tomo 1. in 1. 2. tract. 7. disput. 2. sect. 12. quam & ego reputo probabiliorem cum recentioribus gravissimis, proboque Primò eodem argumento, quo supra ostendi distingui vbicationem, actionem, vnionem, &c. Quia hoc, quod est Petrus hodie durare, est aliquid reale, vt nemo negat; sed hoc est separabile ab existentia Petri, ergo est aliquid distinctum ab eâ. Consequentia est evidens. Minor probatur, quia Petrus existeret heri cum totâ suâ substantiâ & existentia, & potuit mori, quo casu non durasset hodie; ergo durare hodie realiter est separabile à substantiâ Petri, alioquin non posset esse substantia Petri, nisi duraret hodie; sicut non potest esse substantia Petri, quin sit animal rationale, quia hoc non distinguitur ab illâ. Aliquas solutiones huius argumenti, quæ sunt communes negantibus modos omnes, vide fuscè refutatas Disputatione 19. à num. 18. & Disput. 21 v. à num. 8. & 34.

Retorquent quidam hoc argumentum Primò contra eius auctores: quia, si tenerent consequentiam de connotatis, non videretur argumentum tam robustum, possent enim distinguere Antecedens hoc modo, Petrus & instans possunt absolute existere, quin coexistent, quantum ad entitatem, negatur Antecedens; quin coexistent quantum ad denominationem, transeat; ergo